



AB
224

DU ✓

U. q. 227







5
DE SCHOLIS FEL-
citer instaurandis

ORATIO

JOHANNIS OLEARII

S. S. Theolog. D.

Habita in inclyta Schola Halensi Anno Chri-
sti MD. CIII. XXVI. Ianua-
rij, die Polycarpi,



E Typographéo Erasmi Hynitzl,

Impensis Ioachimi Kruseken Bibl.

1603.



EPISTOLA DEDICATORIA

AMPLISSIMA

RISSIMI ET PROVDENTISSIMI

viris pietate et virtute pra-

stantibus

ORATIO

D. D. CONSULIBUS SYNDICIS

Et

JOHANNIS OLIVARII

SENATORIBUS FACULTATE

Reip. Hagenjensibus in hac Urbe Civitatis

Joannis Reip. Hagenjensibus V. J. Janus

Salvum per Christum Deo sit

A digna et honesta

deinde laetitia vobis Divina

inceptione hoc a perceptione &

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit

quodammodo in Christo sit



EPISTOLA DEDICATORIA.

AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, ET PRVDENTISSI-

mis viris, pietate, rerum usu & virtute præstantibus

D. D. CONSVLIBVS, SYNDICO,

Et

SENATORIBVS INCLYTÆ

Reip. Halensis, patribus patriæ & Musarum Fautoribus celeberrimis,

Salutem per Christum Dominici filium.



Apienter & piè constitutum, omnibusq; sinceris verbi Divini ministris præscriptum hoc à præceptoribus & patribus nostris in Christo fuit, ac publicis Ecclesiasticarum Agendarum & Ducalium constitutionum libris insertum præceptum, PROCERES amplissimi, ut quotannis saltem bis pro concione, initio veris & autumnii, admoneatur Ecclesia de Scholarum dignitate, necessitate atq; utilitate maximâ, deq; liberis in publicam disciplinam justissimas ob causas tradendis. Cum enim verissimè dictum sit, illos *ἐὰν ἐν τῷ ἔτιμῳ ἔξωσεν*, hoc est, ver ex anno tollere, qui

A 2

scho-

scholas tollunt: quippe quod scholæ similiter omni-
 um totius humanæ vitæ ornamentorum seminaria
 sint & primordia: Sicuti flores Verni omnium fru-
 tuum totius æstatis & autumnus: Et in tantâ mundi
 cæcitate atq; ingratitude (ut qui totus in maligno
 positus, velut Augiæ stabulum est, contemptoribus &
 illusoribus plenum) preciosissima & optima quæq;
 facile sperni: vilissima verò plenis buccis dilaudari
 soleant: Nihil magis necessarium quàm pios Ec-
 clesiarum ministros laudare laudanda, vituperare &
 taxare, quæ vituperijs sint digna: Itaq; non rarò pro
 Concione, quoties, vel Introductionis Gregorianæ,
 sicuti vocant, apud nos jam per annos penè 50. usi-
 tata) vel examinum semestrium, vel lectionum Ev-
 angelicarum aut propheticarum occasio tulit: Ex-
 hortationes de Scholis excolendis, deq; officijs Hie-
 rarchiarum divinitus institutarum, docentiumq; &
 discipulorum, prout Spiritus S. eloqui dedit, ad popu-
 lum unà cum Collegis carissimis, instituendas pu-
 tavi.

Quoniam verò in eandem sententiam aliquid
 Scholasticæ Declamationi simile meditatus, Vobis
 Amplissimi Domini Consules, id ipsum nuper ob-
 tuleram; quibus hanc Orationem non solum in cœ-
 tu studiosæ juventutis frequentissimo publicè reci-
 tandam: sed etiam ex Amplissimis Collegijs Dn.
 Consiliariorum, Scabinorum, Salinarum præfecto-
 rum,

DEDICATORIA.

rum, & Ecclesiasticorum ædilium, viros dignitate præcellentes huc invitare visum fuit: ut nimirum ea, de singulorum officijs ad Scholarum felicem instaurationem necessariò conjungendis Oratio, ab omnium ordinum in hac inclytâ Rep. proceribus tantò solenniùs audiretur, tantò uberiores per cœlestem benedictionem fructus eniteretur (sicuti verbum Dei nunquam sine fructu audiri solet) Etiam si tenuior forsân & exilior sit, quàm pro rei dignitate, & Magnifici Auditorij claritate: Multis tamen ita placuit, ut ad describendum sæpiùs sit expetita; multis etiam ut publici juris fieret, desiderata: Facile passus sum Typis nostris excusam in plurium manus, etiam eorum qui audire non potuerunt, eam pervenire.

Vestro autem nomini, Amplissimi prudentissimiq; viri, illam inscribendam existimavi multis de causis, quarum prima est, ut pro insigni & verè paternâ curâ & sollicitudine, quâ Scholam hanc vestram illustrè complectimini: quam nuper etiam insignibus beneficijs testatam fecistis, publico aliquo testimonio, primùm Deo Opt. Max. *δωτῆρι ἐλάωπ.* dein etiam vobis universis & singulis gratias singularibus, si modo illa reperire possem, verbis agerem: nec quidquã magis me in votis habere, quàm ut in annos usque Nestoreos talem tamq; sanctam adfectionem erga literatæ pietatis stadia reipsâ declarare pergatis, ali-

EPISTOLA

quo pignore solenni contestarer. Deinceps etiam ut insignem vestram liberalitatem, adeoq; munificentiam, quâ non ita pridem magnis sumptibus Bibliothecam novam ædificandam, veteremq; amplificandâ autores gravissimi exististis, & hoc eximium ornamentum Reipub. Ecclesiæ verò scholæq; nostræ, singulare adiumentum fore commemorabili pietate decrevistis. Tertiò quòd meæ tenuitatis quaecunq; studium erga Remp. scholasticam mirificâ benignitate & humanitate nunquam satis prædicandâ, remunerare, publiceq; in plurimorum hominum lætissimorum veluti conspectu, lætissimoq; plurimorum applausu magis quam sperare fuisset ausus, celebrare dignati estis. Postremò ut refutare etiam quorundam V. V. A. A. nò ignotorum hominum calumnias vel potiùs Sycophantias: qui ideò, quòd condemnationem doctrinæ D. LUTHERI incomparabilis Theologi, qui in eadem cathedrâ, quam per Dei gratiam Vestra mihi assignavit autoritas; aliquoties postremis vitæ suæ annis docuit, approbare nò possum: sed quæ ille contrâ Sorbonistas aliosq; fanaticos scribès improbavit, eadem ipsemet improbo, & inter Veritatem Spirituale & carnalem, Divinam & humanam, Theologicam & Philosophicâ, accuratissimè distinguendum contendo: nescio, qualem contemtum bonarum artium & ruditatem extremâ, omnis doctrinæ hostè ad fingere non erubescunt. Ex his enim vocibus

cibus

D E D I C A T O R I A .

cibus sæpissimè aliàs à me usurpatis & repetitis , per-
spicuum esse arbitror , me omnis doctrinæ liberalis
veræq; religionis à puero fuisse studiosissimū ; & per
hos annos XXII. per quos hoc loco me D. Servator
Ecclesiam suam erudire voluit , hortatorè assiduum,
publicè & privatim , auditoribus & civibus nostris u-
niversis fuisse ; ut liberos suos felicioribus præsertim
ingenijs præditos , in scholæ disciplinam publicam
traderèt , verâ pietate , linguarum eruditarum & opti-
marum artium cognitione imbuendos , ad Ecclesiæ
totiusq; Reip. κοινωφέλειαν curarent. Cujusmodi horta-
mina non semel , sed plus millies & de S. Cortynis , &
in singulis inclyti gymnasij nostri auditorijs , imò eti-
am in Dicasterijs , & Nymphæis & ubicunq; sese de-
dit occasio , à me repetita & inculcata , fanaticorum
autem Carlstadiorum , Picardorum & fratrum igno-
rantix furores justo zelo retusos , bonâ cōscientiâ ad-
firmare , V. V. A. A. & Clarissimum virum nostræ
scholæ Rectorem , ejusq; collegas testes allegare pos-
sum. Sicut illud etiam Distichon sæpissimè sonare
consuevi.

Omnia decrescunt , ubi non Ecclesia crescit :

Et pereunt spretis cætera cuncta Scholis.

Sed de his in ipsa Oratione pluribus. Quod superest Dni opt. max.
tutelæ ac patrociniò , Vos , Amplissimi Consultissimiq; Viri , eum tota
hujus urbis Ecclesiâ , Republ. Scholâ , suspirijs ardentibus commen-
do. Dat. 1603 ipsa Dominica Palmarum .

Amplitud. V.

reverenter colens

Johannes Olearius S. S. Theol. Do

EPI.

EPIGRAMMA
IN ORATIONEM DE SCHOLIS INSTAV-
RANDIS DOCT. OLEARII.



Rata D E O præstans, terræ utilia, aptaq; celo,
Iure solet doctis M A G N V S hic esse Viris.
Constituisset scholas studio solerte, sed est res
Grata D E O, terris utilis, apta polo.
Gratius anne D E O quid sit, pomeria regni
Quàm latis Christi finibus aucta Ducis?
Et plantas superi in laudes educere Iouæ?
Præstare id tantum sed Schola sancta potest.
Uttilius terris quid sit, quàm fingere mentes,
Et toto officijs præficere orbe sacris:
Vitæ & equo ceu Durateo, transmittere ad usus?
Præstare id tantum sed Schola docta potest.
Aptius an celo quid sit, quàm luce coruscum,
Æthereâ summum luce videre D E V M:
Et iubar vt Phœbi radiantes vincere stellas?
Præstare id tantum sed Schola dia potest.
Horum aliquod solum qui pectore præstat amœno,
Iure potest doctis M A G N V S hic esse Viris.
Pectore sed præstas O L E A R I hæc omnia fido:
Omnibus anne igitur tu quoq; M A G N V S eris?
Lustra quaterna, sed & felix, Trieterida præstas,
Arte, fide, meritis, sedulitate potens.
Tu palmas præfers, oleasq; O L E A R I V Sacer,
Accinis & Christo lætæ Osianna Duci.
Christum victoremq; doces, pacisq; datorem:
Sternens vestem, omnes arteq; req; iuuas.
Sic vtriusque replest faustum re noininis omen:
Inde tibi Christi palma olea atq; venit.
Lustris iam denis septenos adijcis annos;
His spacia adijciat vel triplicata D E V S.
Sitque Choro pax, sitque Foro pax, sitq; Toro pax:
Omnibus atq; sonet dulce Osianna locis.

M. Christoph. Casar Scholæ Hal. Rell.

Die Palmarum & Olearum, Christo Regi & sacerdoti
sempiterno, inter lætas acclamations sanctam urbem
ingredietur, prælatariū: qui iam incidit in 17 Ap. 1603

ORATIO DE SCHOLIS

lis feliciter instaurandis.



Um multa sunt, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Reverendi, doctissimi DD. Auditores, Adolescentes studiosissimi, de quibus in huiusmodi congressibus Scholasticis, ubi omnium ordinum & hierarchiarum studia erga Scholas, veluti seminaria Ecclesiarum, & civitatum, elucescant, merito dicendum, & cogitandum; tum nihil magis necessarium, nihil convenientius aut opportunius, quam si de singulorum, & universorum officijs ad conservationem liberalium disciplinarum pertinentibus differatur. Nam etiamsi summa dignitas, latissimeq; patens utilitas (quæ ex docentium, & discipulorum laboribus, in totam Remp. Christianam omnesq; status ejus redundat) consideratu sit dignissima: Quippe quæ vehementer animos ad quodvis genus officij alacrius obediendum inflammare possit; tamen nisi sua cuiq; lectio peculiariter cura fuerit, atq; etiam indicata sit: facile usu venit, quod dicitur, τὸ πᾶσι κοινὸν, ἥκιστα ἐπιμελείας τυγχάνει, ut ei, quod ad omnes pertinet, quam minimum sollicitudinis, & sedulitatis impendatur. Quare, tamen si hoc loco de multis alijs utiliter dicijam poterat; tamen flagitare summa videtur necessitas, ut de rebus agendis potissimum verba fiant: & Theoricis sive speculabilibus illis de origine dignitate, vetustate diversitate, progressu, ruinis, & instaurationibus Scholarum vel valere iussis, vel in suum locum rejectis, aut breviter passim delibatis, de rebus agendis, ipsaque praxi Scholasticarum operarum dicamus. Quod enim ille Romanorum eloquentissimus ait: Virtutis omnis laus in actione

B

confi-

consistit: Idem hoc eruditissimo seculo, quo literatissimis hominibus, & eruditissimis libris plena sunt omnia: merito nobis infixum est: ut quod uberrimè traditum, & explicatum passim reperitur, ad usum in vitâ prudenter transferatur. Itaq; tametsi in tantâ varietate rerum non deesset argumentum plausibilis, quale nuper à Clarissimo, doctissimoq; D. M. Casare scholæ hujus Rectore dignis, compatre meo dilecto audivimus de Incarnatione Verbi: Tamen hanc de praxi Reip. literariæ præferendam duximus materiam, idq; certis de causis.

Videmus omnia passim fervere studijs hominum, scholas fundare, celebrare & gubernare cupientium: Iesuitas non solum in Europa, sed etiam in America, & Peruana, in Iapanicis insulis sua seminaria meditari. Franciscanos non in Europâ tantum, sed etiam in Asia & Africa sua Monasteria, quæ Scholas antiquitus adjunctas habuerunt, propagasse; Nisi fallit Catalogus in libro Conformitarum S. Francisci prolixè descriptus. Sacramentarios passim quoq; videmus non tantum in celebribus: sed etiam in obscuris oppidulis quibusdam, & ijs locis ubi nullæ fuerant prius Musarum officinæ, Declamitando, Disputando, Typographicam artem factitando, strenuam operam navasse.

Nostræ Religionis homines suo quoq; per Dei gratiam deesse noluerunt officio. Sed hoc veris lacrymis, imò crucentis deplorandum: quod in tanto numero Scholarum tam paucæ sunt hoc nomine satis dignæ. Alibi sincera deficit Evangelij doctrina, proq; pastoribus, greges agnorum & ovium curâ salutari tuentibus, lupi ad gubernacula sedent, cunctaq; pravis opinionibus & blasphemijs polluant, & speluncas latronum ex officinis piarum precum, vt filius Dei loquitur, efficiunt. Alibi pii principes, & magistratus multi sunt, sub quorum liberali umbra, quietem & pabulum

capio

capiant Musarum choragi; Sed tyranni, & Harpyiæ, haud secus ac centimanus ille Briareus omnia ad sese rapiunt, & id, quod doctrinæ coelestis studiosos capere oportebat, immisericorditer intercipiunt. Alibi, licet puritas doctrinæ vigeat, munificentia gubernatorum & procerum laudatissima præsto sit; tanta tamen est vel pravitas, vel ignavia, vel docentium vel discipulorum, vel utrorumq; , ut cum omnia cumulatissime suppeditata sint ab alijs, quæ ad culturam ingeniorum requiruntur, ipsi sibi met duntaxat deesse reperiantur. Certum est igitur, tantum esse κερμίδιον, tamq; pretiosum thesaurum benè constitutam Scholam; ut omnes ordines, singulaq; hierarchiæ corporis Ecclesiastici satis hic habeant quod elaborent; in primis verò etiam divinam ut opem votis ardentibus, & assiduis implorent. Quocirca vir Dei Lutherus, qui Germanorum propheta merito nominatur omni laude dignissimus, exhortationem suam gravissimam de Scholis rectè constituendis (quæ Tom. VI. V. Viteb. Germanico legitur: Septimo Latinè etiam reddita reperitur) non solum exemplo suo, doctrinæq; præconio prævit omnibus nostri ordinis hominibus, quibus Ministerium Evangelij commissum est, ut quænam in Scholarum curatione pastoralis muneris sunt, cogitemus: Sed etiam Magistratibus, & Senatoribus civitatum Germaniæ, ipsa dedicatione scriptorum elegantissimorum, & gravissimorum suas operas ibidem assignavit: Civibus etiam, & patribus familias, ipsiq; magistris ac discipulis, Eodem igitur procedamus ordine, & quia teste Salomone, justus primum sui debet accusator esse, deinceps alios quoq; commonefacere: Primò quid propriè sint Scholæ, & quænam sit felix illarum instauratio, ubi de priorum Episcoporum, & pastorum, Deinceps de Magistratum & Senatorum. Tertiò de civium, & patrum familias. Postremò etiam de præceptorum & discipulorum

lorum officio nonnulla in medium adferamus, Deumque patrem Opt. Max. in nomine filij sui dilecti Iesu Christi, qui pueros ad se duci iussit, talibusque regnum coeleste promisit oremus, ut suo S. Spiritu nos ad salutares commonefactiones proponendas erudiat, & in omnem veritatem ducat; uniuersis autem, & singulis facultatem, & voluntatem, libenter & obedienter, ea quæ ratione vocationis præstanda sunt accuranda, celitus inspiret ac largiatur. Amen.

QVOD SCHOLÆ SINT, ET QVÆ FOELIX

illarum instauratio.

Priusquam de singulorum ordinum officijs erga rem literariam dicere aggrediar; paucis definiendum videtur, quid Scholæ propriè sint, & qualis sit earum foelix, & optabilis constitutio, cum & rectè dictum sit, omnem quæ ratione suscipitur, aliquâ de re institutionem, à definitione debere proficisci; ut intelligatur quid sit id, de quo quæritur. Et negari non possit, inter eruditos, etiam magni nominis viros non satis constare, quænam sit benè constituta Schola; qualis expetenda, suscipiendaque sit Scholarum collapsarum reformatio. Aliud enim, alijs sectis est propositum; & quod huic præstantissimum, id alteri detestabile videtur. Nos autem nunc Turcis suas Medras, Iudæorū Rabbinis suas Synagogas & Misnoth, Esauitis sua seminaria regni Antichristiani relinquimus: Academiæ quoque gubernationem, ijs quibus divina providentia illas commisit: Et de trivialibus, quas vocant, Scholis nostrarum Ecclesiarum agemus; quarum finis est triplex. Primus, ut sint veræ & incorruptæ religionis officinæ, in quibus sincera Catechismi doctrina, sive S. scripturarum summarium teneris mentibus, veluti cum lacte nutricis instilletur: Alter, ut mores severiore, & honesta disciplina regantur, ad modestiam, reverentiam superio-

perio.

periorum, aliasq; virtutes conformentur: Tertius, ut linguas eruditas, & artes liberales, Ecclesie, Reiq; pub. necessarias, & privatim utiles conservent. Sincerae pietatis norma nobis est unicum verbum Dei, ejusq; synopsis, Lutheri Catechismus, & Augustana confessio 28. articulis comprehensa: quae vetera symbola, Apostolicum, Nicenum, Athanasianum reperit. Gubernatio morum ac totius vitae ex Catechismi partibus, Decalogo, & caeteris petenda est: cum rectissime dictum sit à D. Prospero lib. de Voc. Gentium: Fides bonae voluntatis, & justae actionis genitrix est, Et ab D. Aug. Male ibi vivitur, ubi de Deo non bene creditur. Quod enim ex Ethicis Aristotelis aliqui rectius praecepta morum sumi posse credant, vel etiam ex poetarum & oratorum, & Philosophorum sententijs, quam ex Catechesi, id falsum est: Cum Philosophia quaedam ut virtutis opera laudet: quae vox Spiritus S. damnat ut flagitia Ioh. 16. Quod ad linguas eruditas Latinam, Graecam, Hebraicam artesq; liberales attinet: quae ad ingenij culturam conducunt: pariter privatim & publice, magno sunt vel ornamento, vel emolumento. Haec sic discendae sunt, ut & pietati, & morum honestati & communi utilitati serviant. Florent igitur scholae, ubi haec tria diligenter inculcantur. Labesunt, ubi vel unum vel plura horum negliguntur. Ut cum Esauitae suam Catechesin idololatricam, Invocationem sanctorum, adorationem statuarum, abominabiles Missarum: Fidem dubitativam pro vera: cucullum Monasticum Baptismo aequipollentem ad consequendam R. peccatorum, mutilationem coenae Dominicae, & oblationem pro animabus in purgatorio, similiaq; detestanda sacra pro veris Dei cultibus tenerae juventuti inculcant.

Etiam si igitur virginalem verecundiam, & summam styli elegantiam, & cursum Philosophicum brevi tempore possent

possent absolvere, suisq; insculpere, sicut nonnulli gloriantur: Tamen infelix est illorum reformatio: execranda potius, quam exoptanda instauratio. Pluris est gutta verae pietatis, quam dolium profanae eruditionis Esauiticae. Idem de Calvinianis statuendum, qui quocunq; irreplerint, Catechesin Lutheri, & August. confessionem aut penitus repudi-
ant, aut depravant: omnes partes legis & Evangelij corruptelis suis inquinant: nunc hujus nunc illius partis distribu-
tionem, aut enarrationem scurriliter exagitant: suisq; erro-
ribus discipulos dementant. Itaq; si quis illorum, linguis
hominum, & angelorum loqueretur, & miracula etiam
edere posset: tamen reformatio vel instauratio foelix Scho-
larum à tali non esset expectanda. Quare cum scholæ vo-
centur Domus Dei, Psal. 83. sicut etiam Ecclesiae: in eo con-
sistit *εὐταξία* Scholarum, si consensus sit primùm inter mini-
sterium utrumq; Scholasticum nimirum & Ecclesiasticum:
ut quod Poëta Christianus canit:

Sint unum, doceant unum, patientur & unum.

Qui unum de Christi nomine nomen habent.

Fœda si quidem fuerit confusio: cum alternis Deo
Opt. Max. laudes ab Ecclesia & Scholâ, à pastoribus & pra-
ceptoribus sint cantandæ: si cantionis fuerit Harmonia,
confessionis *διαφωνία*: si destruat in scholâ, quod con-
struitur in Ecclesia, si aliud audiant juniores, aliud senio-
res. Itaq; non magis à suis viceribus homo vivens, & va-
lens, quam hæc ab illâ poterit divelli.

Quis autem felicis instaurationis terminus ac finis fue-
rit? an ut omnibus, nemine excepto, instituendi ratio pro-
berur? à nemine penitus reprehendatur? nihil in ea deside-
retur? Id quidem non solum difficile, sed etiam impossibile
fuerit: ideoq; vel sperare nefas. Nunquam enim, ita præ-
clare cum rebus humanis agitur, inquit Seneca, ut optima
plu-

plurimis (nedum omnibus) probentur. Indicium pessimi turba est, Non enim quo eundum est, sed quo itur, maxima pars vadit. Socrates Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, à Platone, Xenophonte, Demosthene, praestantissimisq; viris alijs unice probatus, tandem mortis, ceu corruptor juvenutis, damnatus ab Atheniensi populo fuit. Et sua riserunt secula Mœoniden (inquit poëta) cum tota suâ schola. Alius severiorem requirit disciplinam: Alius execratut eam quasi carnificinam: Alius requirit adultiores, & barbatos discipulos: Alius mavult ante barbam idoneos supremæ classis auditores, qui ad Academias ablegentur: & muneribus publicis præficiantur: Alius vult in Cicero- ne, Plauto, Plutareho, Euripide, Platone, usq. ad 30. ætatis annum studiosos detineri: deinde primum, vel Theologiæ, vel Iurisprudentiæ vel Medicinæ animum applicari: Catechismum Lutheri vel Chytræi, Psalmos, Pericopas Evange- liorum nullas à pueris audiri vel edisci: ne loqui discant videlicet inquinatè: tantùm verò gnemas ex Cicero- ne & Horatio, Terentio, Plauto selectissimas. Et quis omnia recenseat hominum deliramenta?

Sed nos, ut descriptio Scholasticarum in nostrâ civitate operarum publica habet, nostris gubernatoribus Ecclesia- sticis, pijsq; magistratibus probatam, & publicæ confessio- ni orthodoxæ consentaneam probamus scholam. Itaque de pastorum officio erga Scholas primum agamus.

Reperiuntur nonnulli, quos, haud scio, quis malus ge- nius agitat, aut fanaticus error, & iracunda Diana (ut cum Poëta loqui) ut nullas vel ut esse Ministrorum Ecclesiæ *Horat. Ar* partes, vel in visitandis, vel alioquin in commendandis, aut *te poët.* gubernandis scholis. Volunt igitur hos penitus esse remo- tos, à mandris, & septis quibus agni Domini redemptori cu- stodiuntur. In deliberationibus igitur gravissimis, de Visi- tatione

rationibus Ecclesiarum & Scholarum hujusmodi voces
 effutire non verentur. Pastorem Ecclesiae in Schola, nihil
 aliud esse quam canem in balneo. Quibus autem tales ra-
 piantur impiarum cogitationum procellis: jam pluribus
 divinare haud libet. Tametsi demonstrari, manibusq; palpa-
 ri propemodum poterat, eundem Spiritum, qui Iuliano
 Apostatae, Christianorum filios à studijs liberalium artium
 publicis Edictis removendi, autor olim fuit, in tales consul-
 tores immigrasse: ut scholas ab omni sincerâ religione se-
 paratas, fanaticis erroribus inquinatas, & odio rectè docen-
 tium Sacerdotum penitus imbutas, quàm veræ pietati de-
 ditas, & cum Ecclesiasticis caribus conjunctissimas, malint.
 Præstiterat verò propemodum, nullas esse, quàm ejusmodi
 Scholas, ubi juvenus semina errorum, & odia rectè do-
 centiam Ministrorum haurire cogatur: ubi nulla pijs pasto-
 ribus redarguendi falsam doctrinam, aut collapsam discipli-
 nam instaurandi potestas relinquatur. Fatemur quidem to-
 to pectore, grati q; mentibus celebramus quod est in Arti-
 X X V I I I, Confessionis Augustanae, utramq; potestatem
 & Ecclesiasticam & Politicam duo Dei summa in terris esse
 beneficia; nec non utramq; propter mandatum coeleste
 religiosè venerandam & honore afficiendam esse. Cum
 etiam aeternus Deus Politicis gubernatoribus divitias, &
 opes hujus mundi, cæteraq; ad panem quotidianum perti-
 nentia subjecerit; impij essemus, si non ingentia beneficia,
 quæ tam in Scholas, quàm in Ecclesias à pijs Magistratibus
 proficiscuntur, agnosceremus. Sed tamen non ita commi-
 scenda sunt hæ divinæ functiones, ut quod utriq; pro ratio-
 ne modoq; Vocationis distributis operis competit, hoc in
 totum alteri vendicetur.

Verum consideremus fundamenta verbi mandatiq;que
 Divini, quod partem curæ Scholasticæ cogantur sustinere
 pij

DE SCHOLIS.

pīi pastores, Evangelij præcones. Et veteris Testamenti Historijs de Prophetarum sanctissimorum, & sacerdotum, Samuelis, Eliæ, Elisæi Scholastica sollicitudine, qui greges discipulorum secum traxere, nunc veluti sepositis: ex Novo quædam oracula proferamus.

Iohan. 21. cum Christus rediivus ex morte tridua, Petrum privatim, & nominatim alloquitur, suiq; muneris commonefacit, Petre, inquit, amas me? Pasce agnos meos. Repetit eandem interrogationem Dn. Servator continuo. Petre amas me? Pasce oves meas. Hic Petro non aliquod Papale dominium in omnes Ecclesias, Scholas, Reipubl. aut in omnia regna totius mundi assignatur: ut Pontifex Romanus sibi passim in Decretis suis, & Decretalibus Canonibus miserrimè passim discordantibus arrogat. Sicuti Lutherus libro adversus Papatum Romanum à Satanâ fundatum prolixè glossas impudentissimas Gnathonum Romanensium recenset & refellit. Sed commune omnibus & singulis Apostolis, eorumq; successoribus, Episcopis, Presbyteris, & Pastoribus officium injungit, quod ad finem usq; mundi nobis incumbit necessariò. Nimirum ut non solum oves Christi salutaribus pascuis, verum agnos etiam (hoc est, teneram ætatem) pabulo sacrarum literarum alendos, & reficiendos nobis esse statuamus. Primo verò loco collocat Agnorum pastionem, Βόσκει τὰ ἀρνία μου, deinde ovium curam, ποιμαίνε τὰ πρόβατά μου: ut summam adeoq; extremam necessitatem pias Scholas diligenter curandi, pastoribus incumbere monstrer. Nam ut Poëta canit:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem.

Testa diu. Sic etiam experientia stultorum magistra, Testa diu. clamat ubiq; deprehendi verissimum. Quocirca supervacaneus penè fuerit omnis concionandi labor, si non etiam posteritatis habeatur ratio: si non tenellas plantas, in arbo-

C

res

Tom. VIII.
Ienens. I L.
Viteberg.



res iustitiæ suo tempore profecturas eadem complectatur sollicitudo.

Nam etiam si gravius sit onus erudiendi pueritiam, quàm ut eidem vacare possitis, qui dux & Minister est sermonis Evangelici: cum pastorale munus totum requirat hominem: Magistrale seu Pædagogicum similiter vix ac ne vix quidem ab illo, qui pluribus, præsertim Heterogeneis, occupationibus distinetur, obiri valeat: tamen hæc pius Ecclesiæ Minister omittere nequitiam debet, quippe suæ vocationis propriissima, & ad rectam juventutis institutionem maximè necessaria, longeque utilissima.

Primò, ut quemadmodum de omnibus vitæ generibus honorificè loqui & docere, quaque ratione quilibet in ijs deudans, Deo bonâ conscientia servire, bonam militiam militare, fidem & bonam conscientiam servare possit, pii Pastores perspicuè monstrare tenentur: ita in primis etiam de officijs docentium in Scholis, & discipulorum, pro re nata sæpius verba faciant, Christoque placere hos alveolos, in quibus ipsi grata Mellificia fiunt, ostendant: dignitatem summam, utilitatem maximam per omnes humanæ vitæ gradus latissimè diffusam, extremam denique necessitatem fovendi studia liberalium disciplinarum, Artium, & linguarum, verbis exaggerent. Quid proceres Deum timentes, & religiosi Magistratus, quid opulenti cives, quid ipsi præceptores, & discipuli debeant huc suo quisque loco, opis & auxilij conferre; productis sacrarum literarum oraculis & exemplis, mandatis & promissionibus divinis, edisserant, neque dubitent, quin Deus suo verbo, suoque tonitru (ut Psal. 68. loquitur) robur additurus, salutaribusque monitis gratiam superni Spiritus affaturus, & benedicturus sit. Ut enim magnus ille

In Theage. Plato, licet Ethnicus verissimè tamen dixit: Non posse diviniorem ab homine curam suscipi, quam de recta sui, & suorum



suorum institutione: Sic Spiritus S. aliquot ante Platonem natum seculis nos erudit: dum in Abrahamo fidelium parente, Gen. 18. & 22. in Exod. 12. cap. in Deut. 16. in Psal. 78. & alibi passim nobis diligentem juventutis institutionem, ceu maximum & sanctissimum inter omnes labores humanos commendat.

Neq; tantum ita generatim operas Scholasticas commendare: sed etiam adversus hostes Musarum, Barbaros, avaros, & importunos quosdam, qualium magnus ubiq; ferè proventus est, defendere, suoq; patrocinio velut Hyperaspistes tueri Scholas debet Ecclesiae pastor. Qui enim magnificas seculi pompas, & quaestuosas artes duntaxat mirantur, illis omne illud videtur nimium, quod liberis erudiendis, quod pijs Magistris, & pauperibus paedagogis, & scholasticis, aut debiti salarii nomine numeratur, aut indebitum velut honorarium alioqui donatur, aut ex testamentis, aut ultimis voluntatibus piorum distribuitur. His veluti palam impijs, & sacrilegis Harpyis contradicendum est pro viribus: & ex legibus divinis & humanis ostendendum, sicuti non solum militibus, & equitibus, qui adversus Turcicum latrocinium armantur, stipendia debentur: sed etiam tyronibus aliquod salarium, unde se exhibeant & exerceant, praemanu datur: & quidem à R. Galliarum etiam infantibus Helvetiorum, qui adhuc in cunis vagiunt, quotannis certa pecunia impenditur ad Regiam Militiam educandis: sic illis etiam qui adversus pestes generis humani perniciosissimas, adversus barbariem, ruditatem, inscitiam, rerum Divinarum, & humanarum ignorantiam, impietatem, Cyclopicum Dei contemptum, luxum, avaritiam, à primis annis militant, itaq; se comparant, ut quocunq; demum loco fuerint olim collocati, strenuos se exhibere possint, sustentatio libera-

2.



beralis debetur. Quis enim militat suis stipendijs? inquit
Apostolus. 1. Cor. 9.

3.
Consolari
docentes ac
dicentes.

Tertiò, Consolari etiam pusillanimes, & vel ingrati-
tudinè discipulorum, vel magnitudinè laborum, vel inhu-
manitate quorundam, (qui humaniores meritò debebant esse)
fractos, & perculsos præceptores, Ecclesiæ pastor debet: ut
memores sint patientiæ, quæ nimis ubique necessaria est.
Quoniam (ut verè dixit Prudentius) Et virtus vidua est,
quam non patientia firmat. Virtus (inquam) quæ alioqui sui
precium est, rectiq; se conscientia sustentat. Molitur enim
hoc Satan, ut excellentia ingenia, publico literarum bono
nata, si alia ratione nequeat, impatientia saltem frangat, &
de statu recto deturbet. Hic genua labantia erigere, & ma-
nus defatigatas oportet confortare. ut statuam, mercedem
operi suo certissimè promissam & destinatam. Nec verò
nostram fortunam adeò magnificam censei debere, ut ab
ingratitude calumnijsq; penitus liberi esse aut possimus,
aut velimus: cum Deus Opt. Max. qui non tantum summe
bonus, sed etiam ipsissima summa bonitas est, pro summis
erga omnes beneficijs pessimam reportet blasphemiarum
nimirum & maledictorum gratiam. Sed hoc tertium in
Scholas officium esto compendio notatum.

4.
Bibliothec-
as curare.

Quartò, Cum peculiari oraculo Mosis sit in veteri Te-
stamento mandatum, ut Tabulas Decalogi lapideas, & li-
brum LEGIS in Arca fæderis, cum Mannæ cœlestis ca-
psula, collocaret: utq; sacerdotes & Levitæ Librorum Pro-
pheticorum essent custodes, & descriptores, eorumq; regi-
bus Israëlitanæ populi exemplaria curarent ac traderent:
Cum scripta S. S. Evangelistarum & Apostolorum præposi-
tis Ecclesiarum sint commendata: Cum in Alexandrinæ
Ecclesiæ Cæsariensis, Romanae & alijs, piorum Episcoporum
curis, laboribusq; Bibliothecæ publicæ sint instituta: Cum
in

in Monasterijs (quæ per aliquot secula vice Scholarum fuere) supellex quædam libraria fuerit collecta: Hoc etiam omnino ad pastorem curam, Scholis debitam, pertinet, ut & præceptoribus, & discipulis de bonorum librorum & legitimorum autorum copiâ pro virili prospiciant: unde cumq; possint, utiles libros colligant: inter bonos & pravos delectum adhibeant: Magnates virosq; nobiles, Magistratus, & cives opulentos, ad liberalitatis suæ monumenta libraria posteris relinquenda exhortentur, quippe quæ liberis, & nepotibus illorû suo tempore servire possint. Quem admodum Lutherus Sanctæ M. Propheta Germaniæ, graviter in hanc sententiam circa finem Libri sui de Scholis rectè instituendis, Consules, & Senatores, præsertim celeberrimum Urbium in Germania, cohortatur: Et exempla Rerum publ. illustrium quæ huic consilio parent, ostendunt.

Sed abruptenda pars hæc, atq; ad alteram transeundum, quæ est de piorum Magistratum officio in juventute laudabiliter informanda. Nec enim sufficit Ecclesiæ præsides, ut ante dictum, hoc saxo volutando se fatigare, sed alteram Hierarchiam, videlicet Politicam, accedere per necessarium est, ut deinceps fuerit differendum. Alioqui sicut Apostolis, & Episcopis, & Martyribus, qui sub impijs Magistratibus, Scholarum hostibus vixere, cum vitæ fortunarumq; periculo, tamen sancta illa pro Scholis, & pauperibus, & Bibliothecis sollicitudo, foret urgenda: sicut adhuc hodie sub Turcarum & Hispanorum Tyrannide faciendum.

II. PARS. DE POLITICI MAGISTRATUS

erga scholas officys.

Quidigitur Proceribus, in gubernatione civili occupatis, negotiorum hic imponere poterimus? An tantum

C 3

ab

ab re sua otij illis esse valebit, puerilia hæc uti curent, qui
 onus Aethnâ gravius sustinere sibi non immeritò viden-
 tur? Poëta fingunt, Iasonem Argonautam, sua navi, quam
 gubernarat, oppressum, & collisum jacere: inuentes videli-
 cet, haud rarò, præstantes Heroas, sapientia, fortitudine,
 justitiâ & moderatione conspicuos, tamen tantæ moli ne-
 gotiorum penitus impares deprehendi, Nec illa Demosthe-
 nis vox ignota est, qui dixit: Si duæ sibi viæ proponerentur,
 quarum altera directò ferret ad mortem; altera ad summos
 in Rep. honores: siquidem præsciret gravissimos labores,
 pericula inevitabilia, & vulgi ingratitude, cuiusmodi odi
 per tot annos illa comperisset: se rectâ viâ illam quæ duceret
 ad mortem ingressurum. Cum autem illa his mundi novis-
 simis temporibus, inter Christianos etiam nihilo levio-
 ra cernantur: quid ulterius attinebit, satis alioquin onera-
 tos fatigare? Verùm nulla lassitudo (inquit ille) officium
 impedire debet. Ingentes animos extrema in fata ferendos
 statuamus, ut cum Poëta loquat: etiam si fax ista mundi ad
 interitum vergentis: ipsaq; ruina sui potius, quam vatici-
 nijs, aut signis alijs, finem suum portendentis omnia reddat
 asperiora; tamen ut ceteros Christianæ Reip. ordines; ita
 etiam pios Magistratus sui memores officij esse convenit:
 quod nimirum non solum Armario bellico, & corporalis
 sed etiam cœlico & spiritali sint autoritate divina præse-
 cti: quod custodes utriusq; tabulæ: quod filij Dei altissimi,
 atq; etiam Dij non sine causa. Psal 81. nominentur. Ego dixi
 Dij estis, & filij altissimi omnes vos. Vnde Ezech. 33. Pa-
 stores ovium Messia, communium Ministris Ecclesie ti-
 tulo vocantur. Rom. 13. etiam Diaconi & Ministri Dei, cum
 ait θεῶν διάκονός ἐστιν ὁ ἀρχων. Nulla verò re magis hanc Diaco-
 niam Dei, & Divinitatem muneris sui representare potest
 gubernator φιλόπατρις: quam si & ipsum Spiritus sancti Mi-
 niste-

*Cicero. in
 Epist.
 Lucani
 versus.*

nisterium, & ejus Scholasticum seminarium sibi habeat
quàm commendatissimum. Ut enim eleganter dicunt Iure
consulti, Dat qui datum, conservat: ita certum est, quod
Scholis ornandis & honestandis pij Consules, & Senatores
impendunt sollicitudinis, & sumtus: quod Ministerio Eccle-
siastico promovendo, propagando, conservandoq; tribui-
tur, tam esse divinum opus, ut participet gloriam univer-
sam totius muneris Ecclesiastici. Ut igitur Filius Dei sedens
ad dextram æterni patris, donaq; dans hominibus, nullum
majus confert nobis beneficium, teste Apostolo. Eph. 4.
quàm quod idoneos largitur generi humano veritatis &
justitiæ doctores: ita qui docentes & discentes liberaliter
alendos, & sustentandos curant: qui Scholas cum Ecclesijs
sibi commendatas habent: ineffabilem Dei munerum se
prætant administratos, & imaginem Filiorum Dei in terris
(ut Psalmographus loquitur) gerunt: imo Dei quidam &
filij omnipotentis, voce Spiritus S. nuncupantur. Vnde S.
Propheta Esaias cap. 49. de Ecclesia dicit: Erunt reges nu-
tricij tui, & Regina illorum nutrices tuæ. Et Christus, qui
Prophetam in nomine suo recipit, mercedem Prophetæ
recepturum affirmat. Ita præstantes illi Monarchæ, David,
Salomon, Josaphat, Ezechias, Josias, summam curam in re-
ctè constituendis non solum Ecclesiasticis sacerdotum, sed
etiam Scholasticis Levitarum collegijs adhibuere, sicut Hi-
storia sacra prolixè in libris Regum & Paralipomenon tes-
tatur. Quin etiam Ethnici, hostes & persecutores veræ Ec-
clesiæ, viderunt sine studiis literarum Respub. & Imperia
consistere non posse. Sicut Aristot. Eth. X. scribit, ibi Cy-
clopum esse Politiam, ubi non curatur publicè juventutis
institutio.

Nebuchadnezar Babylonius Monarcha, vastatis Hie-
rosolymis, & everfa politia Mosaica, quæ veræ Ecclesiæ &
scholæ

Scholarum hospitium 500 annos jam tum fuerat, vidit tamen eruditus hominibus carere se non posse: Seminarium itaque literatorum virorum in Aula sua Regali instituit: Nobiles & ingeniosos aliquot adolescentes de semine Regio Judaici populi, in his Daniele, Ananiam, Misactem, & Azariam bonis literis, & Chaldaicis disciplinis (quæ fuere Mathesis, Astrologia, Geometria, Physiologia, Theologia etiam, cæteraque Magiæ Orientalis, sanioris, inquam, illius, quæ aliàs Philosophia vocatur, non Diabolicæ, neque Necromanticæ istius) erudiendos curavit, atque etiam ipse in eis illos examinare non dubitavit. Ex qua Scholâ post triennalem institutionem postea publicis officijs nonnulli præfati: Daniel in primis Propheta Polyhistor, ejusque tres symmytæ, constantes postea veritatis, & religionis sinceræ confessores & vindices, extiterunt. Eandem pietatem pijs principibus in Persarum & Medorum Monarchia curæ fuisse docet Historia lib. 3. Esdræ cap. 4. quam eandem Iosephus etiam in libris Antiquitatum commemorat: (ne quis Apocryphi scripti auctoritatem præter morem allegari cavilletur) ubi legimus Zorobabelis eruditam facundiam, & de *γυωσπατεία* & de veritatis invicta potentiâ declamantis, occasionem reedificandis Hierosolymis præbuisse: operique illi, licet Regijs Edictis, mandatis, & largitionibus inchoato, Divinis promissis & oraculis sanctificato salutare demum successus addidisse. Sed novi Testamenti tempora & Historias etiam consideremus, unde Magistratum piorum, & Sapientum in Scholas Christianas studia, & quomodo ex Oraculi cœlestis, quod ex Esaia supra fuit allatum, se nutricios Scholarum præstiterint Reges & Principes, attendamus.

De temporibus ijs, quibus ipse Dei filius docendi munus in templis & Scholis obivit, primum videamus: & ecce
 mox

mox ille Centurio, qui à Capernaicis civibus, quod populum Iudaicum diligeret, & Scholam ipsis ædificasset, Luc. 7. magnificè prædicatur. Etsi verò hic Centurio militaris vir fuerit, & Romano Imper. Tiberio iurejurando obstrictus & subditus: ante fortassis etiam Ethnicis Idolomanijs deditus: tamen cum in Christianismo tantum profecerit, ut fidem ejus, Magister Fidei Christus, omnium Israëlitarum fidei præferat: meritò docebit etiam pios piarum civitatum Proceres, quidnam sui sit muneris. Docuit enim & disputavit filius Dei, in illa novâ Scholâ, quam ex manubijs Martis religiosus miles Musis Christianis Capernai consecrârat, ut Ioh. 6. prolixè describitur. Actorum 19. narratur, Apostolum Paulum ab Iudæis obstinatis, & Christianam fidem blasphemantibus, secessionem fecisse, suos discipulos ab ijs separasse, & in Schola Tyranni cuiusdam, sive ut paulo post in eodem capite 19. scriptura loquitur *αὐτοῦ*, hoc est, Magnatis aut Præfecti, aut Nobilis cuiusdam in Asia, Ephesi per biennium docuisse, ut per totam Asiam inde personerit Evangelij præconium. Ita quidem repudiata Iudæorum Synagoga, in qua tres menses docuerat: relicto Ephesinæ Dianæ templo, cujus Idolomania pertinaciter ab Aurifabro Demetrio & socijs Idoloplastices ejus defendebatur: in Schola, quam Tyrannus quidam ædificarat, docet Apostolus. Et hoc quidem loco tantum mentio fit vocabuli Scholæ *σχολῆς*; in novo Testamento, quod sciam: cum alioqui Synagoga vocabulum ab Evangelistis usurpetur, quod in Germanicis Biblijs redditur Schola.

Nunc ut omittamus dicere, quibus subsidijs Scholæ poterint subsistere, cum Apostoli, & eorum discipuli, primo, secundo, tertio quoq; post Ascensionem Dn. Servatoris seculo, non solum inter Proceres Mundi, nullos penè patronos, & nutricios Ecclesiarum & Scholarum, sed etiam mul-

D

tos

tos acerrimos hostes, & persecutores habuerunt. Quamvis
 Psal. 47. semper & ubiq; tamen, non solum inter plebejos, sed etiam
 inter Magnates, quidam ceu scuta terræ fuerint, qui pijs ca-
 tibus Halcyonia præbuere: sicuti tempore Diocletiani cru-
 delissimi, & Maxentij Imp. Constantius Chlorus, Magni
 illius Constantini, primi Monarchæ Christiani, pater, um-
 braculum Gallicis Ecclesijs fuit, & Asylum inter horrendas
 multorum annorum persecuciones. Iut, inquam, de ijs tri-
 bus seculis nihil dicamus: Deinceps quotquot Romano-
 rum Imperatores Christo fidem dedere; Constantinus M.
 inquam, Theodosius, Martianus, Valentinianus, Carolus
 Magnus, & ceteri Heroës quam plurimi, non solum Eccle-
 sijs passim instaurandis, sed etiam Scholis exornandis, &
 collocupletandis, eruditorumq; virorum copiâ & indu-
 striâ condecorandis, plurimum & laboris, & sollicitudinis
 impendere, Bibliothecas selectissimis quibusq; libris instru-
 xere, pauperum liberos sumptibus destitutos, modò ingenijs
 excellenter, liberaliter fovere. Examinibus etiam studioso-
 rum ipsimet interdum interesse non dedignati fuere. Ac ut
 breviter multorum seculorum narrationes concludam de
 officio piorum Magistratum in Scholis instaurandis: uni-
 cum de Carolo Magno, primo Germanorum Imperatore
 Christiano, referam: Qui non solum multos Episcopatus,
 Multa Canonicorum collegia Episcopatibus adjuncta;
 multa Monasteria (quæ nihil aliud nisi scholæ initio fue-
 runt, & literatæ pietatis Gymnasia seu *doctrinæ*, fremat hic
 licet, & mendacia nostræ Confess. Aug. affingat Bellarmi-
 nus) passim per totam Germaniam construxit, sed etiam
 ipsemet Examinibus tam nobilium puerorum, quam ex te-
 nuioris fortunæ civibus natorum, interesse dignatus est: Et
 si nobiles deprehendisset fiducia majorum ignaviores, & ad
 discendum segniores, privilegia nobilitatis illis adimere, &
 paupe-

pauperum filios (modò diligentes in studijs, ingenuos, ingeniosos, & doctos) ijs anteferre solitus fuit. De quo locum in signem Ioh. Aventini clarissimi Historiographi ex Annalibus Bojorum lib. 4. pag. 285. audire quæso ne gravemini. Cum enim narrasset, qua ratione Carolus M. liberalia literarum studia penè jam injuria majorum oblitterata, instaurare summopere conatus sit: quomodo ex Hybernia duos Scotos, Clementem & Albinum, ex Anglia alterum Albinum acciverit; ex Suevia Valdonem Augiæ majoris Magistrum, quorum primum Albinum Scotum miserit Ticinum, ad aperiendum ibi ludum literarium: Clementem Lutetiam Parisiorum: ijsq; annonam ex fisco, & stipendia assignarit: Procerum pauperumq; pueros, ingenuos modò, erudiendi causa tradiderit: Albinum Anglum secum detinuerit: Valdonem aliò juventutis erudiendæ gratia destinarit: mox adjicit hæc verba de Examine: Cum Carolus M. longo post tempore in Galliam divertisset, pueros quos Clementi commiserat, epistolis, versibus, carminibus, orationibus panegyricis scriptis, ut periculum de eorum ingenio atq; indole faceret, sibi exhiberi jubet. Vbi tenuiores præter spem profecisse; nobiles verò gaudijs corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendit: illis ad dextram segregatis: Vos quidem maecti virtute, inquit, estote filii piissimi, qui nostro imperio gnaviter defuncti estis: vestra erunt Sacerdotia locupletissima, & Pontificatus maximi: Ego vos in Aulam adscisco: ex vobis Senatores cooptabo: vos in album Prætorum, & Patrum curiam adlegam. Deinde ad Nobilium liberos, quos à lavâ collocarat, vultu haud iram dissimulans, ait: At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus, & splendore parentum, nostram majestatem conspexistis: vitia, omnia luxum & inertiam, bonis literis, virtutibusq; contempto decrei nostro prætulistis: lu-



Deo, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obulum quidem ab Imperat. vestro, cujus iussa aspernati estis, expectate: Faxim, ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis: & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam, diligentiam expiaveritis. Ignoscite, Aud. Ornatiss. quod prolixius verba non tam Aventini clarissimi Historici, sapientissimisq; aliquot Principibus avorum memoria charissimi, quam Imperatoris Caroli M. post homines natos praestantissimi, excitandae juventutis ergo recitavi.

Adjicere possem his aliorum Imperatorum, videlicet Othonum, Henricorum, Fridericorum, illius in primis, qui hunc inclytum Archiepiscopatum fundavit Othonis M. & praesertim Maximiliani I. gravissimam auctoritatem: qui in comitijs anni 1500. cohortatus est gravissimè principes Germaniae, praesertim Fridericum Sax. & Marchionem Brandenburgicum Electores, ut quia doctis viris carere omnino non possent: magnis sumtibus subditorum liberos in exteras nationes mittere cogerentur: Ipsi de Scholis & Academijs instituendis in sua quisq; ditione cogitatione susciperent: Sicut ipse Viennensi Scholam fundanda bono ipsis exemplo praevivisset. O vocem Imperatore praestante dignissimam: utilitatis & salutis refertissimam: quae multas hominum myriadas salvificarum divinarum & humanarum notitia mirabiliter imbuit: quae Sapiientissimum alioqui Fridericum ad ea consilia maturanda, moxq; altero anno exequenda impulit, quae nullis thesauris totius mundi comparari potuerunt. Vix enim biennio post, V Vitebergensis Schola felicissimo sydere fundata, cujus nuper Iubilaeus seculari ingenti celebritate peractus: sexennio post Francofortensis ad Oderam instaurata. 20. annis post Marpurgensis. 38 post Regiomontana Borussiae, deinde Ienensis, & Helmstadenensis magno totius Reip. Christianae bono publicis ceremonijs Introductionum sunt dedicatae.

Talis

1502.

1506.

1524.

1544.

1550.

1576.

Talis cura pijs Magistratibus incubuit, planeq; necessaria fuit, ideo quod cœnobiasive Monasteria, studijs liberalium disciplinarum antiquitus destinata, nefariè in luxum, barbariem, & idololatricas superstitiones degenerarant: quod in Baaliticis clamoribus Choralium ignavi ventres proram & puppim Religionis eruditæ, collocarant: neque tantum Græcam & Latinam, sed vernaculam quoq; linguam penè dedidicerant, & infeliciter docendo dedocuerant. Quod si nusquam alibi, saltem in Germanicis Bibliorum Translationibus ante annos centum vel 80. Augustæ, Norbergæ, Halberstadij, editis videre licet: ubi tanta notiorum Latinis, sed etiam Germanicis in vocabulis, & phrasibus exponendis & reddendis ruditas, & barbaries cernitur, ut stuporem legentibus nobis incuriat. Secundo loco clamant hoc tot Mendicantium Monachorum Postillæ, vel potius sterquilinia: tot Quodlibeticarum Quæstionũ plaustra: tot Sententiariorum commenta: In quibus nihil bonarum rerum, nihil solidæ doctrinæ, nihil prorsus in dicendo vel sapientiæ, vel elegantia. Quamobrem miseri Principes & Imperatores subditorum suorum (qui ab i. faustis doctoribus, & perdebantur, & prodebantur,) Scholarum curam ad Pios quoq; Magistratus pertinere iudicarunt. Sicut omnes boni Principes in legitimis Politijs unanimi consensu semper decrevêre. Nam quod Licinius Imperator Constantini Magni Affinis, & collega dixisse perhibetur, Literas Reipub. vitus, & pestem esse, literatos autem Aularum forices: cum is omnium disciplinarum usq; adeo rudis fuerit, ut ne nomen quidem suum Diplomatis subscribere potuerit: merito refertur ad illud Proverbiale: Scientia non habet hostem nisi ignorantem. Et cum is non solum maledictis, sed etiam crudelissimis supplicijs, Ecclesiarum & Scholarum Ministros oppugnarit: merito Deus vindex

Aurelius Victor in vita Constantini Magni.



ORATIO

suorum servorum, & studiorum salutarium, sic illius rabiem punivit, ut Imper. Constantinus M. licet affinis & collega: quia docentium, vel discipulorum cæcus reverenter habendos sapientissimè judicaret, illum sibi necessario reprimendum, & (quia furor aliter coerceri non poterat) imperio, vitæque exuendum autumarit. Ephesij, cum Hermotinum doctus, virum eiecissent, dixisse feruntur, Nemo nostrum frugis sit, aut excellat, si quis frugis esse, aut excellere velit, discedat; sed ob barbaricam illam vocem digni judicati sunt, qui strangularentur: & ipsi suam inertiam postea condemnare. Quorsum autem hæc tam multa de piorum Magistratum, & quidem Cæsarum & Regum in Scholas instaurandas Zelo? Non aliorum sanè dicta sunt, quàm ut Pontificiorum nostrorum, & aliorum quorundam maleficatorum insaniam refutem: qui Magistratus Christianos, velut armentarios duntaxat faciunt, & Laicos tales, qui nihil curare debeant, quid vel in Ecclesijs, vel Scholis, ab Episcopis & Monachis boni malivè peragatur: Ut denique doceam, pios & hic & alibi Magistratus, Consules, & Senatores, patrum memoriâ, rectissimè fecisse, qui Evangelio per Lutherum sanctæ memoriæ virum, reflorescente, & ex densissimis tenebris velut refulgente; repudiatis barbarorum Monachorum Mendicabulis, & popinis, iisque etiam (ubi potuit commodè fieri) legitimâ ratione disturbatis, piæ eruditionis officinas Christo dedicavere: Magistros solidè doctos honestis stipendijs aluere: pauperum aequè, ut divitum liberos in ludum mittendi, autores fuere: vel ad hoc ipsum parentes partim invitare, partim adegere. N. m. ut tenuiores meritò præmijs & stipendijs invitantur: sic opulentiores, luxu otioque diffuentes, Baccho & Vacuæ potius quàm Minervæ, aut Musis sacrificantes, ad studiorum labore (qui supra Caroli M. Imperat. exemplo docuimus) adigantur.

guntur. Si namq; Consules & Senatores in communi periculo patriæ, cuius Patres merito nominantur, cives non hortari tantum, sed etiam officij sui, & juramenti ipsorum ratione, cogere possunt, ut alij sarissas, alij gladios, alij bombardas, alij Tormenta majora expediant, & in hostem suum quisq; loco se arment: alij verò signa & vexilla cæteris præferant: Cur non etiam imperitos, & rerum ignaros Parentes, & Tutores, disciplinæ puerilis contemptores, qui nullâ suos liberos doctrina volunt erudiri, compellant intrare Theatrum vitæ humanæ, & videre, quàm crudeles nostri generis hostes sint, Barbaries, incitia, ruditas, stultitia, furor indomitus, profanitas, impietas, & similia monstra, quibusvis hostibus nocentiora? Cur non cogant, ut informatione rectâ filiorum suorum hæc portenta curent profligari? Lex fuit in bene constituta quondam Repub. Atheniensium à Solone (ni fallor) præscripta, ut filius non teneretur Patrem alere, qui non honesta quapiam arte curasset illum in juventute erudiendum, unde *ἑστία* parentibus redderet. Naturali Legi, atq; etiam Divinæ neutiquam ista sanctio discrepat. Sed cum vitare peccata nihil sit aliud, quam vitare causas, & occasiones peccatorum: præstetq; civibus, propositâ multâ, ne delinquant, cavere: quam multam delictis irrogare: non minus laudabile quis arbitretur plebiscitum, si pœna denunciaretur publico edicto singulis, qui filios disciplinæ cupidos & capaces in ludum literarium non mittunt, sed potius in profanitate, Cyclopicoq; Dei gubernatorumq; contemptu adolescere sinunt. Quantum hoc flagitium sit, quantisq; cruciatibus inferorum vix expiandum in tali patria, ubi optimorum laudatissimorumq; Principum liberalitate: gratuita disciplina tam divitibus quam pauperibus contingit: ita flagitiosam vitam institueret verbis consequi vix possum. Nos tanto majoribus Encomiis

Simile Lutheri lib si-
ve Concio-
ne de Scho-
lis. Tom. 6.
Viteber.

mijs celebremus & Illustrissimorum hujus Patriæ Principum, & Reverend. Dominorum Canonicorum: Mag. D. D. Consiliariorum, Consulium, & Senatorum, clementiam, munificentiam, liberalitatem, adjuvandi, deprecandiq; benignam voluntatem, qui talia nobis Halcyonia confecerunt: Hæc magnifica Palatia pijs Musis vel donaverunt, vel ut donarentur, supplicarunt. Sed nimis hæc forsitan verbosè de Magistratus officio erga Scholas Christianas: in qua tamen parte sic versatus sum, ac (ut Poëtæ verbis utar)

Paucula selegi frondes ut si quis ab Ida

Carpat, & exiguam de mare demat aquam.

Nunc igitur tertio loco de Civium & piorum Patrum familiâs officijs erga Scholasticum ordinem breviter etiam dicamus.

III.

DE CIVIVM ET PATRVM familiâs Officijs.

PRæclarè Sapientissimus Hebræorum ait Prov. 26. Ut auris audiat, & oculus videat, Deus facit utrumq;. Copulans nimirum & Præsidum sapientiam, & Subditorum obedientiam, velut in uno fasciculo colligatas. Et sanè, utra res sit præstabilior, utra magis exoptenda, vix ac ne vix quidem explicaveris: cum utraq; sit donum Dei, pariter ad res bene gerendas necessarium: Neutra verò sine alterâ quidquam possit. Quocirca non sufficit, Pastores sui, pios Magistratus etiam sui esse memores officij: requiritur etiam, ut cives & subditi salutaribus Gubernatorum monitis & jussis obtemperent. Itaq; Civium erit, ex Verbo Dei institutos, magnificere ordinem Scholasticum, Præceptores, ut partem Ecclesiastici Ministerij non contemnendam susipientes, re-
verens

verenter habere : laboribus eorum favere : pro modo fa-
 cultatum gratos se præbere : si quid uspiam delinquantur,
 non e vormiter exaggerare : nec etiam probabili ratione fa-
 cta cavillari vel calumniari : sed ut in difficilima laboriosis-
 simaq; functione versantibus , æquanimitate & *patencia* sua
 præsto esse : domesticaq; curâ & sedulitate Scholasticas o-
 peras adjuvare . Sic enim vir Dei Lutherus in Concione sua
 de Scholis Tom. VI. inquit , Pij Præceptoris ac Ludimagi-
 stri fidelis labores nullo præmio satis dignè compensari
 posse : ejusq; functionem meritò Ecclesiastico Ministerio
 comparandam : neq; verò sibi constare , utra provincia , utri
 præferenda sit . Ideoq; se , si Ministerium Concionandi ratio-
 ne vocationis non sustineat : nullum vitæ genus , quam Lu-
 dimagisterium , sibi met optaturum . Quin etiam Ethnicus
 Aristoteles , sed tamen Philosophus , hoc est , divinarum &
 humanarum rerum studiosus , eo pervenit , naturâ duce , ut
 diceret , Dijs , parentibus , & præceptoribus non reddi *ἀξίον*
ἰσοῦσθαι id est , gratiam æquipollentem . Cum itaq; Gal. 6.
 doceat Apostolus , Catechumenos debere suis Catechistis
 (addo etiam suorum liberorum) in omnibus bonis com-
 municare : nostri verò Ludimagistri unâ vobiscum Cate-
 chismi doctrinam tenellis mentibus instillare laborent : &
 aliquâ parte laboris necessarij nos levent : informandis ni-
 mirum Christi pusillis , & ut supra dictum est , Agnis ; in qui-
 bus spes tota gregis Dominici propagandi consistit : meri-
 tò etiam benevolentia civium pij præceptores sublevan-
 tur . Itaq; pauperibus etiam Scholasticis , qui non habent ,
 unde vivant , jurè non publica solum , sed etiam privata
 singulorum civium benignitate succurritur . Sicut enim mi-
 litibus & equitibus , & tyronibus aliquid præ manu datur ,
 unde sese exhibeant , dum agantur delectus , dum in castra
 veniatur , & in hostem ire mandetur . Ita illis etiam , qui suo

E

tem-

tempore & loco, vel in Ecclesijs, vel Scholis, vel Rebus pub.
 & Politijs, contra fædas humani generis pestes, & indomi-
 tos hostes, Errores, inquam, furores, Barbariem, Cyclopi-
 cum Dei contemptum, rebellionem, seditiones, hæreses,
 blasphemias, aliâq; monstra pugnabunt, meritò à toto ci-
 vium cætu, aliquid alimentorum impendetur. Atq; ita qui-
 dem omnibus seculis studiosam juventutem Deo visum est
 alere: ut non soli divites (qui suis stipendijs vivere possent)
 sed etiam multi egeni, & famelici essent inter Prophetarum
 filios, hoc est, discipulos. Elisæi Prophetæ Sanctissimi Scho-
 la fame propemodum enecatur: vix atrum panem habet,
 quo vescatur: Colocynthidas, & agrestes cucurbitas, stimu-
 lante fame, penè cum periculo valetudinis, & vitæ mandu-
 care cogitur. Impij reges, Achab, Ochozias, Ioram, procul
 dubio diripuerant redditus Scholarum: decimas dare pro-
 hibuerant; pios Mæcenates aut trucidarant, aut supplicijs
 à munificentia deterruerant. Solus Abdias pane & aqua
 passim in speluncis abditos, hic quinquagenos, illic quin-
 quagenos, furtim alendos curârat, ut Historia Sacra 2. Reg.
 19. memorat, Quin in Græciâ Musarum parente, Homerum
 Poëtam, omnis eruditionis laude cumulatissimum, legis-
 mus cum suis discipulis *ἔργον ὄντων* sive Scholasticum carmen,
 quale nunc Gregorianum passim canitur, ad divitum fores
 decantasse, & munusculum aliquod sive magnum sive par-
 vum poposcisse. Sicut inter Hymnos illius bellissimum illud
 Idyllion reperitur, & Herodotus prolixè in vita ejus descri-
 bit, quomodo passim carminibus liberalitatem ditiorum
 coactus sit emereri. Quare non solum liberos suos illi, qui
 opibus à Deo cumulati sunt, tantò diligentius curabunt
 erudiendos, quò facilius hoc poterunt: ipsis Pædagogos
 idoneos libenter alent: publicos præceptores, ut Mæce-
 nates pij, fovebunt; sed etiam inopi cætui Currendario-
 rum,

rum, ut nominamus, haud gravatim aliquid conferent, quippe qui (ut supra in Historia Caroli M. dictum) sæpè velocius etiam, quàm delicatiores, emergunt. Ex quorum numero multi quotidie Imp. Regum & Principum Cancellarij, Consiliarij, Doctores, Episcopi, Pastores, Diaconi, Consules, & Senatores urbium florentissimarum existunt. Nominare possemus quendam Consiliarium Magnorum Principum, I. V. D. qui inter Currendarios vicatim Musicam exercendo, & canendo victum ex Eleemosynis piorum civium inter condiscipulos collegerat: passim etiam è cellis subterraneis, aquam in his Salinis nostris exhauserat, & exportarat: unde teruncium aliquando colligeret: eum deniq; ditiorum liberis pedagogum fuisse: mox V Vitebergam studiorum gratiâ cum ijs missum, ita profecisse, ut in Professorum ordinem cooptaretur. A Regibus & Principibus compluribus postea Consiliarius, & tandem Cancellarius efficeretur, & multorum postea civium liberos, quorum Eleemosynis educatus fuerat, consilio & auxilio suo juvaret. Vnde quotannis etiam certo die, & quoties filiam postea senex factus, elocaret, multas mensas pauperibus Scholasticis invitatis stipare, ijsq; ministrare, ad diligentiam in studijs exhortari, & in patientia egestatis hujus, exemplo suo Divinam benedictionem præstolari jubebat. Similia plura virorum clarissimorum recitari possent exempla: quæ docent, non contemnendos licèt pauperculos tyrones, nec officijs nostris indignos habendos: cum sint inter hosce, quos è pulvere Dominus evehere, de stercore erigere, & inter proceres populi sui collocare decreverit, ut Psalmus 13. & mater Samuelis Anna 1. Sam. 2, canit. Suum ipsius exemplum Incomparabilis Heros D. Martinus Lutherus sæpius allegare non dubitavit, quomodo inter Scholares egenos cantillando locupletum ostia visiterit, donec aucta

D. Melchior
or Kling
I. V. D. Sigismund
Archiep.
Magdeb.
Cancellari-
us.

In Colloq.
& in Gen.

per Dei benedictionem re familiari parentum, honestius ipsum in studijs alere possent. Pluribus hoc loco cohortandi essent Cives, ne propter quætuosas artes, & difficultatem rei familiaris, liberos excellentibus ingenijs præditos, à Musis tam facile, sicut nonnulli, abstraherent. Ac multis exemplis doceri posset, mirabiliter Deum ijs benedixisse, qui filios, licet magno labore, magnis etiam molestijs alere in studiorum cursu feliciter versantes non destiterunt: qualia in hac urbe & vicinis illustra suppetunt. Prolixè magnificèq; hoc loco celebranda foret meritò piorum aliquor Civium: qui legatis amplissimis pauperum hujus Scholæ alumnorū inopiam duxere sublevandam. Inter quos patrum memoriā vir Ornatissimus, tuus Amplis. Dn. Consul Iacobe Michael Mulbechi, compater charissime, maternus avus, Nicolaus Schiltberger / non modo Ministri Ecclesiæ amplissima legata donavit: Doctori Theologiæ, qui in æde D. Virginis doceret, quotannis 100. aureos, aut si Licentia esset, 70. florenos: sed etiam binis Scholasticis, alteri Theologiæ, alteri Iurisprud. studioso viginti Rhenanos quotannis ad septennium, aut donec gradu Doctoris ornari possit, numerandos legavit.

Tum etiam Valthemiorum munificentia celebranda foret, qui 500. florenis, unde quotannis ex redditibus vestes egenis & nudis conficerentur, inopes Musarum cultores munerati sunt. Nec verò D. Matthæus Scheller minus perhibendus: qui 500. taleros, unde quotannis stipendiario ex nostra Schola viceni ad quadriennium, quini annuatim pro libris & carta egenis distribuātur. Inter eos qui mei Ministerij tempore Remp. Scholasticam insigni liberalitate provehendam duxere, Dn. Christophorus Polnerus Camerarius, & templi Mariani Aedilis: Ante quadriennium viri eruditi & industrij D. Andrea Holtzvirthi Pharmacopolæ nostri,

noſtri, inſignis etiam munificentia extitit, qui 600. flor. teſtamento pauperib. Scholaſticiſ legavit: ejuſq; te Ampliſſ. & Conſultiſſ. D. Prætor Steph. Haiere, Affinis & Compater dilecte, Executorẽ inſtituit. Tempꝰ me deficeret, ſi Clariſ. cõſultiſſimiq; viri D. D. Durfeldij, Syndici quondã hujus Reip. digniſ. Præterea Nobiliſ viri Salomonis à **Schenis**, Primarij Civis Tobix Drachſtedij, & Virginis eximiæ Annæ Cunoæ, Conſuliſq; Lebechinenſiſ Iohanniſ Viceni Legata memorabilia prolixè recenſerem. Sed omnium liberalitatem ſuperat Mag. Dn. Cancellarij H. Hameliſ I. V. D. Clariſſimi, beneficentia: qui non uni, ſed pluribus, eruditæ pietatiſ ſtudioſiſ, hujus Scholæ alumniſ, ſtipendia vivens adhuc ſuppeditavit. Et Eccleſiæ Miniſtriſ pari munificentia providit. Quæ omnia tam egenorum, quàm ditiorum ſunt incitamenta, & ornamenta; quoniam & dignitas literatæ pietatiſ, & utilitas maxima tam à pijs majoribus, quàm à noſtriſ cõtemporaneiſ ſive *συγγενεῖς* conſiderata hinc elucet: unde confirmati omnes, præſertim tenuiores, tantò minus de *Deut. 32.* ſpondebunt animum in tantâ barbarie plurimorum: ſed vi Divinæ promiſſionis futurum, ut etiam mei de petra per Dei gratiam ſugere poſſint, confident: hoc eſt, inde etiam, unde nihil ſperandum videatur, divinitus aliquid ſuppeditatum iri ſtatuent.

IIII.

DE MAGISTRO RUM ET DISCI

lorum Officijs.

CVM omnibus vitæ generibus S. Scriptura ſuam arroget dignitatẽ: & expetenda fugiendaq; , faciendã pariter & omittendã præſcribat: atq; ita omnium ordinum hominibus opera exercitiaq; ſua ſanctificet, hoc eſt, qualiter ſancta, Deoq; grata eſſe poſſint, edoceat: Non exiſtimandũ eſt, doctentiũ in Scholiſ, & diſcetiũ ſudores præteriri: ſed potiùſ de

meliore notâ illos commendari statuendum est, atq; eti-
 am, quales illi debeant esse, diligenter præscribi. Quoties e-
 nim legimus, vel ipsum Deum lapideis Tabulis inscripta
 Decalogi præcepta, populo suo tradidisse; vel indefessum
 Verbi sui studiû omnibus, tam summisquàm infimis, com-
 mendasse: vel parentibus accuratam liberorum institutio-
 nem injunxisse; vel obedientiam erga Parentes, Sacerdo-
 tes, seniores, juventuti præcepisse: toties Præceptorum, &
 Discipulorum exigit officia, tanquam ad sui nominis glori-
 am, & æternam mortalium salutem referenda. Quid enim
 Decalogum, ejusq; interpretationem libris consignandam
 Mosi tradere profuisset: nisi in tanta populi multitudine
 certis hominibus, nimirum Levitis & Sacerdotibus oppi-
 datim docendi provincia tam in puerorum, quàm adultio-
 rum catibus fuisset credita? Quomodo autem docendi
 discendiq; labores, sine certis operarum & obligationum
 distributionibus & observationibus obiri utiliter queant?
 Itaq; nominatim tertio præcepto dies septimus sancitur,
 quo parentes liberos, & domesticos suos ad Sabbathi san-
 ctificationem astringant: hoc est, ad sanctificæ doctrinæ me-
 ditationem religiosam, cujus gratiâ cæteras occupationes
 universas intersistere mandavit: Eodem fine septem dies
 Paschalibus feriis, totidem pentecostæ, totidem au-
 tumnalibus Scenopegijs anniversaria solennitate tributi.
 Quibus festis Exod. 13. Psal. 78. 82. Carechesei liberos suos de
 rebus divinis erudire, liberi verò docentibus aurem com-
 modare jubentur. Parentalis igitur est pietatis munus, in-
 formare juniores; cujus pars in Ludimagistros ideò deri-
 vatur: quia quod quis per alium facit, per seipsum facere
 Jureconsultorum sententiâ, præsumitur. Caput igitur hoc
 est officii Magistralis & Pædagogici, ut suæ fidei creditos
 discipulos, paterno complectantur affectu, qui Scholis præ-
 sunt:

sunt: nihilq; magis in votis habeant, quam illos industria, studio, vigilijs, & laboribus suis efficere quam optimos & doctissimos: pietate, moribus, literis, quàm ornatissimos. Ut igitur Cicero de Magistratus officio differens scribit, Magistratus est, intelligere se personam civitatis sustinere, & utilitatem Civium sic tueri, ut quæcunq; egerit, ad eandem referat, oblitus commodorum suorum: deinde ut totum corpus Reip. curet: nullam partem Civium negligat; ita piorum Magistrorum est, intelligere suam vocationem verè divinam esse, se sustinere personas Thesaurariorum, Gazophylacum totius civitatis: cui nullæ cariores sunt oves, quam sui cuiq; liberi: pro quibus enutriendis, & è periculo liberandis, vitam & omnes fortunas profunderent *φιλόδογοι* non dubitant. Ex tali cogitatione efflorescat ac redundet oportet, utilissimarum curarum copia, laborq; fructuosissimus. Deinde nihil suæ vel famæ, vel ambitioni, vel utilitati: potius omnia teneris mentibus informandis impendent, prudentes & cordati Gymnasiarchæ: & ut de Cætone Lucanus: Non sibi, sed toti genitum se credere Mundo, ita se non sibi, sed toti Scholasticæ Reip. nato statuent. Et cum Tito Imperatore subinde illud dicent, *ὄντως ἐγὼ ὑμῖν διψῶ χαρίζεσθαι*. Sic ego sitio vobis gratificari, o amici: nec quicquam magis expetent, quam quotidie felicissimos suorum profectus discipulorum videre: Neq; tantum ditioribus, qui compensare quodammodo sua liberalitate sudores illos Herculeos & catenatos possunt; sed etiam tenuioribus parentali amore libenter & servient, & de hospitij alijsq; commodis prospicient. Nam etiam si multi, de quibus optimè speraveramus, sæpè fiant ingratiissimi: quod vitium (ut ajunt) fontem benignitatis exsiccat: tamen non satis hoc est causæ, cur operam stipulata manu promissam, nec minus religiosè, quam jurejurando adstrictam, ipsiq; Deo
Opt.

Tom. 4. Opt. Max. remuneratori munificentissimo, longè gratissi-
 Lat. VII. mam, propter quorundam cuculorum ingratitude[m] se-
 teb. fol. 30 gnus obire vellemus. Gravissimè vir Dei D. Lutherus in
 Comment. Ecclesiastæ Salomonis consolatur adversus im-
 patientiam, quam hominum ingrata[m] mentes in benè meri-
 tis sæpius excitant, cum ait: Cogitandum nos hic esse, ut in
 naufragio, aut incendio, ubi laborandum est, ut saltem tor-
 rem aliquem de incendio eripias, quando totum incendi-
 um, cohibere vel extinguere non potes. Quare si es Magi-
 ster puerorum, labores, ut vel unum aliquem rectè institu-
 as. Si prædicator Evangelij, sic prædices, non quod omnes
 possis lucrifacere Christo, (non enim omnes obediunt Ev-
 angelio) sed si tres aut quatuor animas tanquam caudas ti-
 tionum fumigantium Christo adduxeris, & converteris,
 fol. 29. B. gratias age. Item: ubi feceris tua, faciet Deus sua. Non enim
 velle desistere, nisi prius curvitates omnes correxeris, id est
 te in locum Dei velle statuere, hoc est, cum ratione insani-
 re. Tu quidem potes docere, monere: nemo autem, nisi
 Deus, corrigere. In manu nostrâ non est curvitates rectifi-
 care. Benefacio multis, & ecce refero malam gratiam: nihil
 verò mirum aut novum accidit, quia nisi Deus dederit cor
 intelligens, & gratum: perdes omnia tua beneficia. Hæc &
 cætera Lutherus ibi gravissimè. Quæ non tantum in Scho-
 lastico vel Ecclesiastico, sed etiam in Polirico, & Oecono-
 mico vitæ genere versantibus, & cum pravitate mortalium
 conflictantibus, instar Cynosuræ præluere, vivoq; & præ-
 senti Antidoto patientiæ fiduciaq; in Deum collocandæ
 pectora nostra munire debent: Absq; hæc fideli & Christia-
 na mentis obfirmatione cœlestem *μὴ δὲ τὸν κοῖνον* spectante,
 nec Ludimagistorum, nec aliorum in aliqua dignitate &
 functione publica versantium quisquam tranquillitatem a-
 nimi veram tenere, nec munus suum rectè potest obire. Ta-
 lis

lis fiducia, & honesta voluntatis, & omnis constantis iustaque actionis est genitrix. Ad talem pietatem & semetipsos, & suae fidei creditos adolescentes, pij Ludimoderatores debent exercere. Hæc pietas ad omnia utilis est, ut ait Apostolus, *1. Tim. 4.* promissiones nimirum presentis & futuræ vitæ liberalissimas, in verbo Dei propositas, contemplans. Præter hanc institutionem ex Catechismi doctrina in fidei, sinceræque religionis partibus omnibus, & singulis: in quo communem nobiscum sollicitudinem & laborem sustinent Scholarum præfides: Externæ etiam disciplinæ honestas, obedientia, modestia, gravitas, & morum innocentia, merito summæ curæ fuerit, & docentibus & discipulis. Graviter namque dictum. Qui proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit. Pueros ingenuos decent ingenui mores, & neutiquam honorificum est *αὐγ' ἀπ' α.* si illud à gravi aliquo viro dicatur adolescenti in literis aliquandiu versato: Tu mihi videre non in aula, sed in caula natus, ad eum moribus es agrestibus. Sed cum hæc & in nostra inclyta, & in omnibus benè constitutis Scholis sint assidua repetitione plus quam benè trita: non est cur alioqui prolixam orationem longius extendere, morasque ingratas necere, aut velim, aut debeam: Itaque brevissime tantum percurrens cæteras præceptorum & discipulorum officij partes, finem orationi tandem imponam. Finem & Scopum, & ultimam metam laborum vestrorum, Adolescentes studiosissimi, (Nam ad vos hæc particula postrema vel imprimis pertinet) nostis esse, pietatem eruditam, sive piam & religiosam eruditionem. Ad hanc docendam & propagandam, percipiendam, & discendam, vocat vos Inclytus hujus Reip. Senatus, & omnes procures hujus Patriæ, dignitate & autoritate præstantes: Huc vos parentum & amicorum, tutorum & curatorum, cognatorum, & affinium desideria vocant: huc nos

F

nostra



nostra quotidiana præconia verbi celestis & incitamenta:
 huc ipsius, qui supra omnes est, creatoris & gubernatoris
 æterni Oracula: Huc certissima vestra commoda & orna-
 menta. Quemadmodum enim verno tempore, si flores vel
 ab Erucis devorentur, vel frigore vel imbre intempestivo
 corrumpantur: nulli fructus autumnali tempore spe-
 randi sunt: ita si flos hic ætatis vestræ fuerit neglectus,
 & amœnissimum hoc ver, alterutrius vel utriusque partis
 vitiositate, somnolentiaq; perditum: quanta penuria docto-
 rum, piorum & sapientum Civium, & gubernatorum post
 paucos annos ingruitura sit, intelligitis. Scitis duas esse par-
 officij præceptorum. I. Doctrinam sive institutionem fide-
 lem, Dein disciplinam & gubernationem vitæ ac morum.
 Doctrinæ rursus gemina est ratio. Alias enim rerum, alias ver-
 borum scientia mentibus instillanda est. Nulla rerum solida
 doctrina esse, vel censei potest: ubi non præcipue domina-
 tur pietas, & incorrupta Catechismi, quæ cum lacte nutricis
 pueris est instillanda, sciëntia. Præstat enim gutta veræ pieta-
 tis, doli profanæ eruditionis. Quamvis igitur Ciceronis,
 Catonis (sive potius Aufonij) Homeri, Terentij, Isocratis,
 Plutarchi & aliorum Ethnica scripta proponi in nostris Scho-
 lis soleant: tamen si sententiæ profanæ atq; impiæ nonnun-
 quam occurrant, diligenter curandum ne qua jactura sinceræ
 pietatis fiat: transiliendi potius sunt, quam explicandi loci,
 qui vel fidei vel moribus officere possent. Eleganti hoc simi-
 litudine docet D. Basilus in oratione ad Scholasticos de
 capiendâ ex Ethnicorum libris utilitate. Ut apes (inquit) non
 ad omnes flores similiter advolant, neq; etiam eos totos
 quos accedunt, auferre tentant: sed quantum mellificio
 conducit, delibant: reliquum relinquunt: Ita nos si sapie-
 mus, quantum sincerum est, & veritati cognatum, excer-
 pentes, (ex Ethnicis Poëtis & Oratoribus) reliqua transilie-
 mus.

mus. Demonstrat hoc ipsum loco citato, multis Poëtarum & Philosophorum dictis partim probatis, partim rejectis, ille quem citavi, D. Basilius. fol. 227. Græ. Bas.

Deinde quia nobis inter homines vivendum: inter quos 2.
eruditi sunt veluti κοσμοπολιται hoc est, totius mundi Cives, qui rerum divinarum & humanarum scientiam, salutis æternæ, & vitæ hujus usui necessariam, ex libris eruditorum lingua scriptis, qualis est primum latina dein Græca, postremo Hebræa, discere coguntur: ut Siracides cap. 39. de studiosorum officijs præclare differit: Oportet in primis Latinam linguam pueris diligenter inculcare: deinde Græcam unâ cum Dialect. & Rhetorica: sine quarum artium præceptis, eruditus sermo Latinus vix potest comparari. Tales igitur Libelli Logici, & autores Latino sermone usi, sunt diligenter suoq; ordine pueris proponendi, & interpretandi: omniaq; ad facilitatem & usum, difficillimis quibusque, & inutilibus resectis, revocanda.

In primis Vfus & Exercitatio, colloquendo, scribendo, 3.
examinando, disputando, declamitando, urgenda: in qua tantum est momenti: ut praxis sola multos, theoria nullos fecerit artifices: & D. Augustinus lib. 1. Confes. cap. 13. testetur, se Latinam linguam inter blandimenta nutricum (quæ nimirum Latinè loqui norant) & joca colludentium puerorum, sine regulis Grammaticorum didicisse. Hic igitur Præceptores, monendo, urgerdo, præcipiendo, operas distribuendo: Discipuli, parendo & primum Latinè, deinceps & Græcè suo tempore colloquendo: Colloquia varia ex Cic. Terentio, Plauto, Erasmo, Ludovico Vive, Virgilio, Homero, Euripide, Xenophonte, Luciano & alijs, exercitij gratiâ sapius memoriter recitando, suum officium facient. Nam quod tam paucos Latinè saltem tolerabiliter loquentes, nedum oratores habe-



mus, Græcè vix ullos qui loqui valeant, quamvis intelligant: id non soli præceptorum negligentia, sed etiam discipulorum contumacia, & rebellionem acceptum referri debet: quos sæpè nec minis nec plagis, nec præmijs, ad hanc Praxin, quæ maximè necessaria studiorum pars est, adegeris. Sicuti nuper aliquot exemplis eorum est comprobatum, qui nobis integros non solum Virgil. Aeneidos & Homerica Iliados, sed & Xenoph. Dialogos exhibuerunt.

4. Examina in primis singulis diebus, singulis horis, de quolibet ante traditâ lectione, per fidelem magistrum instituta, immensas habent utilitates: quarum causæ recitari possent plurimæ, eaq; gravissimæ: ut hæc & præceptoribus & discipulis longè debeant esse commendatissima: nemini detrectanda vel fugienda, sicut in Examinibus semestribus creberrimè solet inculcari: nihilominus à multis prorsus non curari. Vanus est enim omnis labor Præceptorum licet fidelissimus & indefessus, nisi fautrix, & adiutrix fuerit discipulorum sedulitas, & obediendi assiduitas.

Quod autem de DOCTRINA dictum, idem de Disciplina satis jam intelligi potest. Quid enim agent vel efficiant pii Præceptores, proponenda & inculcanda Catechesi, si pauci aut nulli discere curent? Quid ad S. Conciones frequentandas adiget, si parere noluerint, aut non nisi plagis assiduis exercitia pietatis visitabunt? Quid exhortationes ad preces matutinas, vespertinas, ante & post cibum recitandas, ad Modestiam, Verecundiam, Obedientiam, Reverentiam, Veritatem, Gratitudinem, Patientiam, Castitatem, omnesq; virtutes Christiano adolescente dignas, si capite obstipos stare, nec locum monitis sanctis dare voluerint discipuli? & non nisi Phrygum instar plagis emendari? Itaq; Parallela & ex adverso sibi correspondentia esse hæc officia necesse fuerit: ut quilibet suam & discant lectionem, & con-

& considerent vocationem : Præceptores libenter & paternâ benevolentia doceant, ad pios mores adsuefaciant. Discipuli sint, ut ait Plato Politicorum 7. φιλομαθῆς, φιλήκοοι, ζητητικοί, id est, cupidi discendi, audiendi, interrogandi, & repetendi, ipsosq; præceptores filiali amore prosequantur, nec minus, quam ipsa studia (ut Quintilianus præcipit) diligant. Sicuti legimus Gratianum & Theodosium Imperatores, Ausonium Poëtam præceptorem vocasse parentem suum, & ad consularem in urbe Româ dignitatem, quæ summa post Imp. erat, evexisse. Sed quia hæc in Legibus nostræ Scholæ, & aliarum sapissimè repetuntur, non prolixius inculcabo. Deum Opt. Max. in nomine Iesu Christi filij unigeniti invocabo, ut cum de piorum Pastorum, Magistratum, Civium & Patrum familias : Postremò etiam de Præceptorum & Discipulorum officijs præcipuis verba fecerim ille idem dator omnium bonorum & conservator, suo S. Spiritu nobis omnibus, & toti huic Inclytæ Reip. adsit, quo hoc pretiosissimum κεφάλιον & seminarium omnium in omnibus ordinibus civium, & præsidium salutarium, concordibus precibus, votis, studijs, & laboribus, perpetuò quàm rectissimè curetur, ut non tantum Ecclesia & Politia, sed singulæ etiam Salinarum nostrarum Oeconomix cœlesti benedictione indies florentiores, & beatiores evadant; Omnes autem Hierarchiarum istarum, & piarū Scholarum hostes, & pestes, Turcæ, Tartari, Hispani, lues Epidemica, Dysenteria, caritas annonæ, similesq; miseriæ, quàm longissimè à nostris Ecclesiæq; Christianæ finibus arceantur, & ea quæ nunc divino beneficio singulari iterum obtigere nobis Halcyonia, quàm diutissimè nobis divino munere prorogentur : & ad gloriam Sanctissimi nominis Divini ; illustrationem salvificæ veritatis, & plurimorum hominum sempiternam salutem rectè transferantur. Amen.

Vide initio
operum An
sonij vitæ
ejus.

DIXI.

EPI.

Lectori salutem ab autore salutis unico Immanuel.

Preclarè dictum ab sapientissimo Hebraeorum rege Salomone Mala aurea in calaturis argenteis, est verbum prolatum in tempore suo: Monile aureum & Margarita fulgens, est reprobator sapiens apud aurem obedientem Prov. 25. Quae sententiâ spiritus S. non modo summam dignitatem, & excellentiam, summamq; utilitatem doctrinae caelestis nobis commendat: quae quovis tempore tam prospero quam adverso, tam lato quam luctuoso, reverenter habenda: cunctisq; rebus humanis anteferenda: quippe basis aeterna beatitudinis; & fons omnis verae virtutis, solidaq; consolationis: universae sapientiae, potentiaq; Principum huius seculi longè semper anteferenda: sed etiam monet, prudenter circumspiciendam, cupideq; arripiendam esse docendi opportunitatem & propagandae veritatis caelestis, & salutarium admonitionum evocatio: quae non semper aequè commodas subministrat ansae. Sunt enim occasiones pulcherrima Dei dona, quae non ab hominibus fingi, aut rebus aptari possunt, sed divinitus monstrari solent: ut, qui illas deserit, Deum ipsum deserere, & salutem avertari perhibeatur. Inter omnia, verò tempora, nullum pijs amabilius, nullum radiantis Metallis caelatis phialis, aut Margaritis fulgentibus similius, quam cum omnes Hierarchia divinitus instituta, conspiciant, in propagando sincero Dei cultu: in laudabili juventutis informatione, veraq; pietatis, & severioris disciplina conservatione. Vbi namq; sic pusilli cum majoribus ad celebrationem Divini nominis, tum dictis, tum factis, tum universae vitae institutis assuescunt: ibi verè est tabernaculum Dei cum hominibus: ibi omnia longè splendidiore majestate coruscant, quam si ex auro & argento, ex lapidibus preciosissimis, omnes porta, muri atq; domus omnes, ad miliaria 300. vel 400. ubi Apocal. 21. de magna illa & admirabili Civitate DEI nostri, figurate scribitur, essent constructa.

Cum igitur Amplissimus ac Prudentissimus in Chyraljus Reip.
Sena-

Senatus, ceteriq; Proceres, non vulgarem nuper, & aliàs sapè, declararint ergà celebrem nostram Scholam studij propensissimi affectionem: Præterea de sacris Cortynis, D. Servatoris exemplum, & oraculum, quo sedulitas Doctorem in docendo: obedientia puerorum in discendo parendoq; mirificè comprobatur & sanctificatur, audierimus: Liberalitatem & fidem admirandam Ethnici Centurionis, in aedificanda Capernai Scholâ, Christi q; Divina potentia celebranda, prope diem audituri, per Dei gratiam sumus. Congruentia Temporum & Personarum, & Meditationum, & Actionum nostrarum admirabilis, omninò Divinitus, ut interpretari par est, oblata; me pariter officij mei vehementius etiam admonet. Quare cum & ipse studium meum erga Remp. literariam unicè probare cupiam, & rectè dictum sit à Cic. De Oratore, Studia nihil prodesse perveniendi aliquo, nisi illud, quod eò, quo intendas, ferat, deducat q; cognòris: Item, Sine disciplinâ juventutis, nullam posse aut esse, aut manere civitatem: Decrevi, adjuvante Christo, Orationem de SCHOLIS feliciter INSTAURANDIS ad proximum Mercurij diem qua erit XXVI. Janu. D. Polycarpo antiquitus consecrata, habere: de q; omnium ordinum officijs ad hoc virtutis & pietatis opus necessarijs differere. Ad quam audiendam, quia Amplissimus & Prudentiss. SENATUS, pro singulari suo in nostrum Gymnasium studio, complures etiam ex primarijs Civibus, excitandè generosa juventutis ergò judicat invitandos: Programmata brevi illud publice notificare visum est.

Faxit D. IESVS, qui puer in medio Doctorem sedere, illos q; audire & interrogare, cætus q; doctentium & discipulorum ita sanctificare dignatus est, ut labor iste non sit inanis in Domino: Sed ad profectum Sipientia gratia q; tam apud Deum, quàm apud homines, junioribus pariter senioribusq; conducatur. Amen. Habebitur Oratio dicto

Mercurij die. Hor. VIII. ante meridiem in Auditorio

Schola maximo. P. P. Anno C I O. I O.

C III. die XXI. Jan.

Iohannes Olearius S. S. TH. D.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical script, possibly Latin or German. Some words are difficult to discern but may include "DE SCIENTIA" and "MAGISTRO".



154324

ULB Halle 3
004 062 949




56.

R

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

5

DE SCHOLIS FELI-
citer instaurandis

ORATIO

JOHANNIS OLEARII
S. S. Theolog. D.

Habita in inclyta Schola Halensi Anno Chri-
sti MD. CIII. XXVI. Ianua-
rij, die Polycarpi,



E Typographéo Erasmi Hynitzl,
Impensis Ioachimi Krusken Bibl.
1603.



